

ALIVD.

EX aduersò multa Lacedæmoniis ostenta grauia atque terrifica, sed omis-
 sis aliis vnum referam, quod Historici
 Graiorum maximum ac mœstissimum
 affirmant. Cum enim de victoria consul-
 tores legatos ad Dodonensem Iouem de-
 stinassent, & hi oraculum operientes,
 vasculum cum sortibus certò posuissent,
 Molossorum Regis simia, sortes ipsas
 huc illuc sparsit confunditque, insuetum
 rarumque prodigium, prodigiosum po-
 tius, si fœdum illud & inquietum & im-
 portunum animal, non quicquid vsquam
 reperiret effunderet. At illis aliter vi-
 sum, itaque responsum est: Lacedæmoniis
 non de victoria, sed de salute cogitan-
 dum, & hunc tantum terrorem, has Deo-
 rum immortalium, an simiæ Regiæ tan-
 tas minas, sequens mox fortuna declara-
 uit, famosa illa pugna Leucœrica Lacedæ-
 moniis ad interemptionem deletis op-
 pressisque. Sed de hac re satis multa di-
 ximus: Et si quid dicendum super-
 est, proximo tractatu reli-
 quias prosequemur.